

Non teris, ac alii, sub inertī tempora luxu
 Plenaque nec vanis otia rebus agis.
 Instruis ast animum studiis & rebus honestis,
 Otia sic vitæ desidioſa cavens,
 Laudis & es veræ custos, sacræque Themistos
 Adfertor solers: Euphrosynesque comes.
 Utilis esse studes cunctis, doctisque piisque,
 Pulchrior hac toto gloria nulla solo.
 Inde TIBI merito favet ingenioſa caterva;
 Te quoque non leviter, bella Budorgis amat.
 Slesia grata TIBI virtutis præmia confert,
 Virtutem sequitur gloria, palma, decus.
 Qui mare, qui terras, qui cœlum numine complet,
 Te fovet, & menti gaudia blanda creat.
 Sæpius optatam depulsa nocte reducit
 Nunc aurora diem: Solque redit roseus
 En quam pallentes collustrat lampade terras!
 Fallor? an illuxit prospera lux Domino?
 Quæ procul hinc omnis mœroris nubila pellat
 Et nova PATRONO lætaque festa ferat.
 Mitte Tuos igitur nunc, VIR VENERANDE, dolores,
 Mitte Tuos gemitus, mitte Tuas lacrymas.
 Annua natalis celebrato festa diei:
 Dulcia multiplici júbila voce canens.
 Illico Phoebe veni præcinctus tempora lauro,
 Et cito dulcisonæ plectra moveto lyræ.
 Cingite nunc Musæ PATRONI tempora flore,
 Atque ejus vitreo rore rigate comas.
 ILLIVS & nomen semper celebrate per Orbem,
 DIGNVS QVI VIVAT, QVI VALEATQVE DIV.

§ § §



FESTIS NATALIBVS
 VIRI
 NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
 AMPLISSIMI, DOCTISSIMI
GOTTLOB
KRANZII

Scholarum, quæ Wratislaviæ sunt, August. Conf.

INSPECTORIS GRAVISSIMI

Gymnasii Elisabetani

RECTORIS & PROFESSORIS longe MERITISSIMI

Vicinæque Bibliothecæ

PRÆFECTI VIGILANTISSIMI, CELEBERRIMIQVE,

Quæ

A. R. S. cl. 1500XXX. VI. Cal. Mart.

Auspicatisimis illuxerunt Ominibus

Qua par est

Demissa animi veneratione

Adplaudere voluit

Christian Gottlieb Sabicht,

Gymnas. Elisab. Civis.

WRATISLAVIAE,

IN OFFICINA BAUMANNIANA TYPIS EXPRIMEBAT
 JOHANNES THEOPHILUS STRAUBEL, TYPOGR. PRAEFECTUS.



Te procul duræ, morosa silentia, leges!
Ite procul Samii, tædia docta, senis!
Nil juvat obstricto dextram imposuisse palato,
Et labiis hilares continuïsse fonos.

Num nos obducto benefacta tacebimus ore,
Quæ Præceptores exhibuere graves.

Quæ minus apta tamen Grajæ facundia lingvæ
Efferet, & Latii fama decusque fori?

Non mos iste pius: quævis occasio monstret
Optatum ad quævis præmia justa locum.

Sed quæ justa voco? quis justa remunerat illis?
Quis poterit tantas rite referre vices?

Finge aliquem qui te speciosum corpore fecit,
An non insigni munere dignus erit?

Ast quanto præstat fragili mens corpore, tanto
Te decet, obstrictus sis magis atque pius.

Aurea quid profunt Nabathææ pondera Terræ,
Si non mens, sano corpore, sana viget.

Parca casæ sapient, humilis tibi fercula, si tu
Composita semper mente quietus eris.

Tum demum Zeno felix, cum cuncta perissent,
Et pauper dubiis naufragus esset aquis,

Sed Rex Mæonius miser est, licet omnia tactu
In glaciem fulvam vertere dextra queat.

Hæc mens sana facit; quam negligit alter, at alter
Præcellens hominis venditat esse bonum.

Rite quidem: nemo toto manet orbe beatus,
Qui cupit externas prosperitatis opes:
Justius internis operam concesseris omnem,
Sponte sua venient cætera quæque tibi.
His stant felicitis firmissima foedera Vitæ,
His aliquis demum rite beatus erit.
His sibi magnificas struxit Prudentia sedes,
Quas non Barbariæ diripuerunt Noti.
Sed quis tanta docet? quis Nubila mente repellit?
Quisque facit Vita nos meliore frui?
Non Præceptores? sic est: hi causa salutis
Omnibus humanæ suntque manentque gravis.
Hi mentis nostræ bene discutere stuporem,
Dogmate formarunt pectora sana suo.
Qui densas cæci palpavimus ante tenebras,
Cernimus ingenii, lumina grata, faces.
Qui prius errantes campis ibamus apertis,
Tramite jucundo novimus artis iter.
Dicite, mortales, quæ gratia nostra reponet?
Excedunt animos munera tanta bonos.
Dicite, sufficient devotæ pondera lingvæ?
Dicite, sufficient cara metalla soli?
Heu minus! hæc parvi faciunt data præmia, flavæ
Nullus amor terræ, nulla profana fames.
Nec satis est illos lingua celebrare diserta,
Exiguum Verbis pondus inesse solet.
Quæ, miseri, dabitis? date vos, date pectora vestra,
Hæc læti capient munera lata sibi.
Hoc genus officii venerando præstitit olim
Actæo Æschines non sine laude seni.
Et nos præstemus: tantorum grata laborum
Munera, sat prodest cordaque nosque dare.
Huc age non fucata mihi Pietasque, Fidesque
Huc age Pieridum, docta caterva chorus.
Sit venerabilium noctuque dieque Virorum
Pronior ad laudes officiosus Amor.
SUSPICIE NDE SENEX, si carmina nostra labori
Et multis studiis sunt minus apta Tuis.

Parce mihi, VIR, parce mihi, VENERABILIS, illa
 Exegit Pietas, quæ mihi multa TVI est.
 Disrupi gratam cohibentia Vincula lingvam,
 Sat tacti: placuit nunc aliquando loqui.
 Et laudes, VIR MAGNE, Tuas: TE vindicat unum
 TE Præceptorem Patria nostra suum.
 TE quoque noster Amor, manifesta que signa favoris
 Sæpius exhibiti tantaque totque stupet:
 Cum superent placidi radiantia lumina coeli,
 Cum superent patuli semina quæque soli.
 Quæ TIBI digna precer? non mens mea laudibus una
 Sufficit eximiis, quæ TIBI digna precer?
 Accipe pro meritis, pretium leve, carmina, magnis
 Carmina quæ grato pectora Musa canit.
 Nunc TVA conspiciamus NATALIA FESTA, repleto
 Quæ Titan rutilis orbe reduxit Equis.
 Hæc TIBI perpetuum felicia quilibet optat,
 Nos quoque qui curæ tradita Turba Tuæ.
 Hæc fas est albo semper signare lapillo,
 Hi sunt optati, festa beata, dies.
 Si juvat unanimis Votum superaddere Votis,
 Quod tamen ex mentis simplicitate fluit:
 Stent agili Juvenis TIBI robora justa Vigore,
 Accipiat Vires longa senecta novas.
 Sæpius ista dies felixque petitaque Terram
 Conspicua radiet luce reverfa TVIS.
 Vive diu felix, multos Venerabilis annos,
 Splendida Doctorum gloria, vive diu!
 Neve Machaönios sæpe experiare labores,
 Neve senile premat cura molesta caput!
 Deficiunt numeri, cumulantur pectoris ignes,
 Quid reliquum est? orem: sint rata verba DEO.
 Et jam Castalii renuunt mihi pocula fontes,
 Gurgite turbato Phocidos unda fluit.
 Accipe, MAGNE SENEX, nam Vota suprema supersunt,
 Quod TIBI gaudenti pectore plaudo, VALE!

Sinen Lehrer als einen Vater
 Wolte, als
 Der Wohl-Edle, Großachtbare und Hochgelehrte
 S E N E
 Gottlob Frank /
 Der Evangelischen Schulen in Breslau
 Hochansehnlicher
 INSPECTOR,
 Des Elisabetanischen Gymnasii Hochverdienter
 RECTOR und PROFESSOR,
 Wie auch
 Bey der benachbarten Bibliothec weitberühmter
 BIBLIOTHECARIUS,
 Seinen Höchst-erfreulichen
 Geburtstags = Tag
 Anno 1730. den 24. Febr.
 Höchst-vergnügt erlebt hatte,
 einigermaßen erwegen
 Und
 die darüber geschöpfte Freude
 In nachgesetzten wenigen Zeilen
 Gehorsamst an den Tag legen
 SAMUEL WENCESLAUS KROLL, Olsn. Siles.
 Gymn. Elisab. Wrat. Civis.

Breslau in der Baumann. Erben Buchdruckerey druckts Joh. Theoph. Straubel, Factor.